

295-11



ET DABO ILLI STELLAM
MATUTINAM.
Apocalypseos 2.

*

ANGELUS JOSEPHUS PATIÑO
 ALTARIS S. JACOBI MAJORIS
 EX BENEFICIO MINISTER,
 in grati animi signum,
 VARIETATE THESEON HISTORICO-MORALIUM
 intertextum, suscipit dilucidandum
 JUBILÆUM PLENISSIMUM,
 AB ALEXANDRO III.
 P. OPTIMO, MAXIMO,
 BASILICÆ COMPOSTELLANÆ INDICTUM SÆCULO XII.
 sub sequenti forma verborum.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

ALEXANDER Episcopus Servus
 Servorum Dei, Regis æterni, cujus ma-
 nifestissima pietas tanta nobis Divinæ
 gratiæ dona perfudit, ut ad vitæ super-
 næ gloriam vocandis mortalibus, non

solum Prophetarum oracula, ac præcedentium Patrum, exempla pariter, & documenta præbuerunt; sed & ipsa veritas, ejus scilicet Unigenitus, de summis Cœlorum ad Imma pro generis humani salute descendens, mortalitatis nostræ carne assumpta, visibilis, & corporalis voluerit apparere: eo quod nascente Sanctorum numero, quos sua justificaverat gratia, ampliare dignatus est; vices licet immeriti gerentes in terris, ac pia ipsius officia, & actiones imitantes, ad illa, curis vigilamus assiduis, studiisque indefessis enitimur, per quam nostræ operationis ministerio sacræ Religionis in agro Dominico superna dispensatione plantare. Ut universis vigilantia nostræ creditis, talia favorabiliter concedamus, per quæ in præsentī vita, pijs intenti operibus puris mentibus altissimo gratum redere famulatum, & per hoc ad æternæ
cla.

claritatis sine fine visionem ³ fæliciter
valeant pervenire, & propterea quæ à
Romanis Pontificibus Prædecessoribus
nostris proinde concessa fuerunt, liben-
tè approbamus, ac Apostolico munimi-
ne roboramus, illaque ampliori perstrin-
gimus firmitatis adminiculo, quo in
ævum inconcussa valeant permanere fir-
miùs solidata: ac etiam de novo conce-
dimus prout id in Domino conspiciamus
salubritè expedire. Dudùm siquidem
fælicis recordationis Calixtus Secundus
Romanus Pontifex, Prædecessor noster,
Sanctam Compostellanam B. JACOBI
ZEBEDÆI Ecclesiam, cujus in ea vene-
randissimum Corpus honorificè est posi-
tum, ob nimium devotionis affectum
quem ad ipsum Sanctum tenuit, & ob
tantorum innumerabiliumque Peregri-
norum concursum, ex omnibus mundi
partibus, ob remissionem suorum pec-

ca-

caminum, ad eandem Ecclesiam continue confluentium, qui propter tanti Apostoli merita se suarum salutem animarum credunt adepturos, Apostolicæ Sedis, Privilegiis, Gratiis, & Indulgentiis communivit. Voluit siquidem quod præfata Ecclesia Apostolica se lætetur protectione muniri: Concessit insuper omnibus, & singulis utriusque sexus Christi fidelibus verè poenitentibus, & confessis, Ecclesiam prædictam visitantibus in anno in quo Festum ejusdem S. JACOBI ZEBEDÆI in Dominica venerit, à vigilia Circumcisionis Domini, & per totum illum annum integrum usque ad diem ejusdem Circumcisionis, & per totum diem in fine illius anni in diebus quibus magis eis placeret visitare, ut omnes & singulas illas peccatorum indulgentias, & remissiones, etiam plenarias, quas visitantes Eccle-
sias,

5

sias, & Basilicas Urbis, & extra Urbem
anno Jubilæi consequerentur, cum fa-
cultate deputandi Confessores, qui ad
dictam Ecclesiam pro consequenda in-
dulgencia hujusmodi confluentes, etiam
in casibus Sedi Apostolicæ reservatis,
absolverent: ac etiam eisdem Christi Fi-
delibus in ejusdem S. JACOBI, & Trans-
lationis Corporis sui, ac Dedicacionis
ejusdem Ecclesiæ festivitibus, Eccle-
siam prædictam, à primis vespers usque
ad secundas vespers, ac per totum diem
inclusivè, devotè visitantibus, annua-
tim, ut plenariam indulgentiam omnium
peccatorum suorum, de quibus corde
contriti, & ore confessi forent conse-
querentur, perpetuis futuris temporibus
duraturam concessit. Nos igitur ad hoc
Prædecessorum nostrorum sanctæ me-
moriæ, ejusdem Calixti Papæ, ac Eu-
genii, & Anastasii vestigiis inhærentes


¶

ad

6
ad gloriam Omnipotentis Dei, totius-
que Religionis Christianæ augmentum,
qui ipsum Gloriosum Apostolum ad ejus
Ecclesiam Compostellanam hujusmodi
devotionis causa de diversis mundi par-
tibus, dimissis parentibus, amicis, libe-
ris, patria, ac aliis temporalibus bonis,
per mare, terramque continuè confluunt
in numero copioso, quique animarum
salutem supernis desideramus affectibus,
& dignis volumus honoribus frequenta-
ri, & ut ipsi Christi Fideles in eadem se
recognoscant Ecclesia Christi muneri-
bus relectos, de Omnipotentis Dei mi-
sericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli
Apostolorum ejus autoritate confissi,
omnes & singulas prædictas indulgen-
tias, & Jubilæum ipsius eisdem modo,
& forma quo Romana Ecclesia habet,
etiam se lætetur Compostellana Ecclesia,
pro singulari B. JACOBI devotione, te-
ne-

7

nere, anno videlicet quo ut præfertur festum D. Apostoli JACOBI in Domini-
ca venerit, & per totum annum inte-
grum ut præmittitur: Nec non in die-
bus illis, scilicet Sancti JACOBI, &
Translatione Corporis sui, & Dedicac-
tionis ejusdem Ecclesiæ, plenariam in-
dulgentiam annuatim consequantur vi-
sitanes prædictam Ecclesiam, ut præ-
fertur, Authoritate Apostolica, & ex
certa scientia approbamus, roboramus,
& communimus, ac perpetuæ firmita-
tis robur tenere in perpetuum decerni-
mus, & insuper illas de novo eisdem
modo, & forma in omnibus, & per
omnia, ut supra concessum fuit, conce-
dimus, & indulgemus, & perpetuis vo-
lumus futuris temporibus duraturas,
non obstantibus Constitutionibus, &
ordinationibus Apostolicis, &c.

 Nulli ergo omnino hominum
li.

8
liceat, hanc paginam nostræ approbationis, confirmationis, concessionis, & indulti infringere, aut ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, Reum se Divino Judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à Sacratissimo Corpore, & Sanguine Redemptoris Domini nostri Jesu-Christi alienus fiat, atque in extremo examine Divinæ ultioni subiaceat. Cunctis autem eandem Ecclesiam visitantibus sit pax Domini nostri Jesu-Christi, quatenus, ut hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Judicem præmia æternæ pacis cum B.JACOBO inveniant. Amem. Amem.

Datum Vitervii, per manum D. Auste-
rii S. Romanæ Ecclesiæ Subdiaconi. VII.
Kalend. Julii indiétione XIV. Incarnatio-
nis Dominicæ anno M.C.L. XXIX. Pon-
tificatus verò Domini Alexandri. PP.
III. Anno XIX. SU-

SUPER INDULGENTIIS, ET JUBIL- læo Compostellano.

I.
CHRI**S**TUS D. Potestatem *indulgenti* peccatoribus contritis donavit suis Apostolis, eorumque in Ecclesia subcessoribus.

II.
Primus se se offert Apostolus Paulus, quem legimus prima *Indulgentiarum* formula, sivè specie usum fuisse erga incestuosum Corinthium à suis concivibus tandem in gratiam, et communionem receptum, ne abundantiori tristitia absorberetur.

III.
S. Paulum, si fides habenda est Clementi Alexandrino, secutus est Apostolus Joannes æquè indulgens cuidam discipulo prius sibi charo, postea latronum duci, deinde ad meliorem frugem converso.

IV.
Hujuscemodi Indulgentiarum usum secundo Ecclesiæ sæculo probatum laudavit et Tertulianus, antequam ad Montanismum transfugeret.

V.
Sæculo tertio invaluit in Ecclesia secunda Indulgentiarum species, vi cujus licebat Episcopis, modo conversationis pœnitentium prius in trutinam revocato, cogitare aliquid *humanius* circa peccatores, qui cum timore, & lacrymis conversionem bonam ostendissent.

VI.
Quin et per oppida singula Presbyteros quosdam, subsequis Ecclesiæ sæculis usque ad nonum, designatos fuisse comperimus, qui impositum pœnitentiæ pen-
sum

sum à lapsis sollicitè exigentes indicabant Episcopis quantum Indulgentiæ pœnitentibus impertiri liceret.

VII.

Tempore item persecutionum tertia illuxit Indulgentiarum species, quæ ad Martyrum intercessionem ab Episcopis iniungebatur ægrotis illis, qui, *libello* à Martyribus accepto, post factam exomologesim, manuum reconciliatoriam impositionem, integramque relaxationem pœnarum Canonicarum, cum pace sibi à Martyribus promissa, ad Dominum remittebantur.

VIII.

Nec tamen Martyres Indulgentiæ beneficium per suos *libellos* infirmis dumtaxat pœnitentibus pollicebantur; verum et sanis, ac benevolentibus *libellaticis* licuit ob preces Martyrum qualem, qualem partem pœnarum Canonicarum indulgere.

IX.

Verum quia, grassante tyrannide, Martyres inter, & Christi Confessores in carceribus fidei causa detentos non pauci idiotæ, atque Ecclesiasticæ disciplinæ ignari tunc temporis inveniebantur; ideo erant Diaconi ergastula perlustrantes, ut Martyrum desideria suis consiliis, & scripturarum præceptis gubernarent.

X.

Unde Martyribus haud licuit *libellos* abruptè tradere, sive Episcopis eorum intuitu indulgere nisi lapsis, quorum pœnitentiam satisfactioni proximam agnovissent.

XI.

Cum denique, ut Ethnicorum persecutio, sic et Indulgentiarum *libelli* desierint, sæculo decimo
in-

incæpit quarta indulgendi species , qua satisfactoria , ac pœnalia opera à sacris Canonibus præscripta in aliud fas fuit laboriosum opus commutare.

XII.

Magnificum , et memorabile hujus Indulgentiæ exemplum suppeditat expeditio Hierosolymitana hortante Urbano II. à Gallis sæculo undecimo suscepta.

XIII.

Et quidem , quamplurimis pœnitentiæ publicæ reis sacrum bellum suscipientibus , factum est inde , quod amplissimus iste indulgendi modus extiterit occasio abrogandæ pœnitentiæ Canonice , Canonumque pœnitentialium.

XIV.

Majus incrementum adhuc sumpsit abrogatio isthęc postquam personaliter impeditis saltem militem , suis sumptibus , ad sacram expeditionem mittere concessum est.

XV.

Hinc ortum duxit Eleemosynaria Indulgentia , (quinta remissionis species) cujus virtute integram , aut saltem Canonice pœnitentiæ partem licuit relaxare illis , qui proprio ære promovissent ædificationem , sive reparationem Ecclesiæ , Monasterij , Hospitalis , alteriusve ecclesiastici ædificij.

XVI.

Extensa necnon per id temporis visa fuit similis relaxatio ad res sæculares , pontium scilicet itinerum refectionem.

XVII.

Ex quinta Indulgentiali specie , utpotè quæ nullum jam opus laboriosum ad sui consecutionem exigebat , fluxit sæculo duodecimo alia Plenaria Remissio in fa-

vorem visitantium illam , & alteram Ecclesiam , certas preces fundendo ibidem ; quo facto tandem pœnitentiæ Canonicæ usus penitus exolevit.

XVIII.

Prælaudatas *indulgenti* formulas, tùm Romani PP. , tùm æcumenica Concilia per Catholicam Ecclesiam fidelibus annuebant ; Episcopis autem sæculis undecimo , & duodecimo , per suas Dioceses tantum , etiam *plenarie* indulgere licuit : quam plenariam facultatem summoperè restrinxit sæculo tertio-decimo Concilium Lateranense quartum.

XIX.

Enim verò, non solum in foro Ecclesiæ, sed etiam coram Deo, à pœna temporali liberabantur quot quot Indulgentias lucrifacere studebant.

XX.

Demùm ea omnium amplissima plauditur famosa admodum species Indulgentiæ , quæ Jubilæum solet nuncupari.

XXI.

Facultatem eligendi Confessarium, qui absolvat à reservatis , vota commutet , juramenta relaxet , supra Indulgentias Jubilæum addere consuevit.

XXII.

Ututsit, Bonifacius VIII. sub finem sæculi decimoterti censeatur Institutor Jubilæi centessimi nec ne; revera Bulla Jubilæi Compostellani anno vigesimo supra centesimum ante Bonifacium expedita ipsum non fuisse primum, qui formulam Jubilæam scriptis mandaverit , adversum quosdam recentiores manifestè convincit.

XXIII.

Eapropter Almam nostram Metropolitanam Basili-

licam jam à sæculo duodecimo *stationariam*, in epocha hujus Indulgentiæ formulæ, nulli totius Orbis Christiani Ecclesie cedere jure merito gloriamur.

XXIV.

Nullum etenim authenticum Monumentum sæculo duodecimo antiquius repertum, ostensum vè est, quo evincatur concessas fuisse Indulgentias visitantibus Ecclesias.

XXV.

Immò testimonium Guillelmi Altisiodorensis, Epistolam S. Ludgeri Episcop. Monasteriensis, Marmoreum lapidem, qui in Ecclesia SS. Silvestri, & Martini Romæ stat, aliaque id genus documenta, quæ ante sæculum duodecimum circumferuntur, ad ostendendam antiquitatem Indulgentiarum *stationalium*, tamquam supposititia, nullamque fidem merentia cum Morino, atque aliis primi subsellii Eruditis judicamus.

XXVI.

Porrò Concives nostri, exteri, & Peregrini, qui anno, quo Festum S. ZEBEDÆI in Dominica occurrerit, Pœnitentes, & Confessi ad Compollanum Sanctuarium accedant, unica, sed devota visitatione, Indulgentias, & Jubilæum Plenissimum consequentur.

XXVII.

Pluries per annum S. immo quotidie si opus fuerit, quis valet Nostrium Jubilæum lucrari.

XXVIII.

Itaque Confessarius potest suis pœnitentibus indulgere, toties quoties ad ipsum accesserint, absolutionem à reservatis, relaxationem juramentorum, votorum commutationem; si excipiat tamen hæresim formalem, vota Religionis, & Castitatis.

Num-

XXIX.

Numquam verò ob expectantium multitudinem Confessario licebit dimidiatas audire Confessiones, nec intuitu Jubilæi suos pœnitentes dimittere absque Sacramentali in iuncta satisfactione.

XXX.

Abhorrere præcipuè debet Confessarius à suorum pœnitentium eleemosynis accipiendis, sivè propter Missarum celebrationem, sivè propter ministerium Confessionis; ne suboriatur prisca illa avaritiæ suspicio, quæ anno millesimo septingentesimo nono Sacræ Universarii Inquisitioni relata fuit, quæque Clementem XI. coegit ad Archiepiscopum tunc florentem litteras mittere, ut omni studio, & vigilantia arceret Presbyteros Compostellanos à suspitione avaritiæ quantumvis minima in administratione Pœnitentiæ.

XXXI.

Quia et necessum non est Sacramentalem Confessionem à pœnitentibus perfici in Templo S. JACOBI; sed in quacumque Ecclesia, etiam extra Urbem, mudentur corda fidelium, possunt consequi Nostrum Jubilæum, dummodò intra biduum à recepta Pœnitentia devotè visitaverint Compostellanam Basilicam.

XXXII.

Similiter, post peccatorum reconciliationem quamvis semper optandus, & consulendus ad Sacram Mensam humilis adcesus, nihilominus non prærequiritur Communio ad lucrandum Jubilæum.

XXXIII.

Nec præscripta visitatio Ecclesiæ exigit, personam devotè orantis dirigi ad Altare, seu locum ubi Sacrum Corpus Apostoli requiescit; in qualibet enim
par-

15

parte Ecclesiæ qui preces fuderit, beneficio Jubilæi gaudebit.

XXXIV.

Quarè, si ob concurrentium multitudinem fiat impossibilis ad Ecclesiam ingressus, orantes extra illam Indulgentiis muniri non negabimus.

XXXV.

Ex quo, semelac Moniales S. Benedicti, quibus ob proximitatem patet per Portam S. aditus ad Sanctuarium, è suis Cellulis ad orandum excitentur, valeant necne Nostri Jubilæam lucrari, non audeamus asserere, nec inficiari.

XXXVI.

Verùntamen, quantolibet æstuent visitandæ Basilicæ desiderio alia sanctimonialia, infirmi, & carceribus detenti, hos Jubilæum Nostri anni S. non adipisci tanquam certum stabiliimus.

XXXVII.

At, quod immunes à lege clausuræ Puellæ, degentes in Monasteriis, atque Orphanotrophio Nostre Urbis, saltem semèl per Annum Sanctum, ad adorandos Sacros Cineres ZEBEDÆI modesto habitu collegialitèr accederent, veluti commendatissimum exercitium quam maximè consentaneum Christianæ educationi censemus.

XXXVIII.

Insuper, estò Nostri Jubilæum ex propriis non habeat suffragari animabus Purgatorii, gratia tamen Benedicti XIII. concessa die vigesima tertia Augusti anni millesimo septingentesimo vigesimo octavo, quicumque in obsequium V. MARIÆ Votum præliterit reddimendi suis satisfactionibus Animas illas, quas Pietissima Mater à cruciatibus Purgatorii liberari maluerit

rit, valet omnes Indulgentias, etiam jubilares, applicare defunctis; et Sacerdoti sic vove vi pro quolibet Sacrificio cuncta Altaria remanent privilegiata.

XXXIX.

Præterea Nostrium Jubilæum non exigit quindecimam pro Compostellianis, pro Peregrinis trigesimam visitationem, nec suspenditur per Romanum, ex Brevi Sixti V. Romæ dato decimaquinta Aprilis, anno quingentesimo octogesimo nono supra millesimum.

XL.


Pro coronide illud hic ab omnibus accurate animadvertendum percipimus (quod et substatuimus) præter Confessionem, & visitationem Basilicæ Compostellanæ, ad Plenarias Remissiones Jubilæi consequendas sincerum propositum requiri, & sedulam sollicitudinem satisfaciendi Deo in posterum per opera pœnalia.

ALEXANDRINUM DIPLOMA, ET THESES
Historico-Morales vindicabit à quacumque obiectione
in Regia Compostellana Universitate *Josephus Garcia Caballero Bacc.* præsidium ferente Primario,
atque perpetuo Theolog. Moral. Antecessore,
Die 21. Januar. ann. Jubilæi Compost.

M. DCC LXXIX.

PRO UNIVERSITATE.

Cum Licent. et Approb. Ex Typograph.
IGNATII AGUAYO.



00372600